

tera Mediteranei, & Palæstinam frequen-  
tasse, sive fortè Philisthæos quosdam in  
Cretam transmigrasse: ac tandem Cerethim,  
sive Cretim designare viros jaculandi peri-  
tissimos. Hæc enim nobis militant potius  
quàm contra nos, cum in eam deducant  
sententiam, Philisthæos Cretenses esse  
origine, & Insulam Caphtor cum  
Insula Cretæ confundendam, quod totâ hac  
Dissertatione nostra probavimus. Neque  
meorum esse partium duco, ut quatuor ad-  
versariorum asserta falsi convincam, vide-  
licet Insulam Caphtor in Cappadocia sitam  
esse; Philisthæos ex Caphtoritidis Side in  
Cappadocia deducendos; coloniam Ægyptio-  
rum à Sesostride in Colchide relictam  
monumentum esse historicum satis asser-  
tum; ac tandem Palæstinam ante tenuisse  
Philisthæos, quàm à Caphtorim & Cha-  
nanæis occuparetur. Heræoque Abraha-  
mo coævus ipsissimos esse Philisthæos, ve-  
tustissimos regionis incolas. Quatuor hæc  
simul mera esse commenta cum veritate  
numquam componenda contendo.

Asseruerunt etiam contra meam senten-  
tiam cultum Beelzebub Dei muscarum ex  
Colchide in Sueciam devenisse, quod probandum  
sibi assumunt ex historia muscarum,  
unde superstitiones suas deducebant  
Suecorum Magi, teste Rudbekio. Ingen-  
tem Magi illi captivam Dæmonum turbam,  
muscas quasdam aratis talis instructas re-  
ferentem, super humeros gestabant, quas il-  
li Muscas prodigium aliquod operaturi,  
jussionum suarum ministras misistabant.  
Affirmabant Dæmonem, quem sub nomi-  
ne Thor colebant, summum habere in  
Dæmones omnes muscas imperium. Por-  
rò hunc muscam Dæmonem è Suecia in  
Palæstinam cum Suecorum colonia deducit  
Rudbekius. Malunt tamen nostræ senten-  
tiæ impugnatores superstitionem ex Col-  
chide in Sueciam per virum quandam  
Odinum nomine, paulò Jesu Christi ad-  
ventu antiquiorem, transmittere.

Quid inde illi? An demonstrasse sibi  
persuadent, muscarum cultum è Suecia in  
Palæstinam, vel potius è Colchide in Sue-  
ciam migrasse? Mihi sanè ad intentum  
convincendum luculentiora desiderarentur  
argumenta, & otiosi esse hominis reputo  
diutius in hypothesi hac subvertenda im-  
morari. Quo, rogo, argumento probatur,  
muscarum superstitionem sive in Suecia,  
sive in Colchide unquam obtinuisse? Ve-  
nesicorum Suecorum historia cultumne  
à Sueciis Dæmoni impensum demonstrat?  
Dæmoni, inquam, quem ita tenebant cap-  
tivum, ut ad suum tantum arbitrium,  
suisque commodis dimitterent? Quid insu-  
per hæc ad Philisthæos, Babylonicâ capti-  
vitate, ipsoque aded Jesu Christi adven-  
tu vetustiores, & cultui Beelzebub addi-  
ctos? Nihil igitur hisce in contrarium ad-  
ductis argumentis è veteri sententia retra-  
himur; raturque manet apud nos, Phi-  
listhæos ex Insula Cretâ in Palæstinam  
transmigrasse.

Serius modò de Numinibus Philisthæo-  
rum differendum.

PHILISTHÆORUM NUMINA.

INstita quadam Religione Philisthæi cul-  
tui suorum Numinum vehementer addi-  
ctos fuisse ex ipso Scripturæ testimonio in-  
telligimus. In expeditionibus suscipiendis  
nihil habebant antiquius, quàm ut secum  
Idola referrent, vanâ spe ducti, non pa-  
rum sibi momenti ex ipsorum ope in ho-  
stes futurum. Capta olim à Davide non-  
nulla ex iis Idolis igni tradita sunt (q).  
Post devictum in prælio Gelboe extin-  
ctumque Saulem, victores Philisthæi: Mi-  
serunt in terram Philistinorum per circui-  
tum, ut annuntiaretur in Templo Idolorum  
& in populis (r). Cum Samson in eorum  
manus incidisset, in carcere detentus ali-  
quandiu, deinde in Templum Dagon (s)  
in actionem gratiarum Diis ejusdem  
gentis productus fuit: eo simul aspectu vo-  
lentes præsentem in Templo turbam dele-  
ctare adversarium longè terribilissimum in-  
tuentem, à quo nihil sibi ultra timendum ha-  
beret. Arca Domini in prælio sub Heli Sum-  
mo Sacerdote capta, in Templo Dagon de-  
posita est [\*]; sicut & ibi suspensum  
Saulis caput; arma verò ipsius Regia in  
Templo Astaroth (t) tropæum exhibue-  
runt. Hæc de superstitione, & religione  
Philisthæorum monumenta sunt apertissima.

DAGON

CElebratissimum Philisthæorum Numen,  
cujus augustissimum erat Samsonis eta-  
te Gazæ Templum; namque vir ille stre-  
nuus eo quo præstabat corporis robore dese-  
ctâ ædificii mole, ultra 3000. hostes partim  
super testum, partim in Templo stantes  
oppressit (a). Huic non secundum alte-  
rum Fanum Azothi excitatum erat, ubi  
Arca Domini deposita tantam prodigiorum  
procellam in Idolum excussit, ut contra-  
ctum simulacrum coram illa conciderit, &  
Numinis caput manusque in limine Templi  
proiecta jacuerint; quod deinde ad limen  
accedentes Philisthæi, ne conculcantes tan-  
gerent, sed saltu transirent, religiosè ca-  
verunt (b). Diu superstitio illa mansit,  
cùm Philisthæos hisce caracteribus desi-  
gnet Sophonias, 1. 9. *Visitabo super omnem  
qui arroganter ingreditur super limen. Ex-  
tabat adhuc Templum Dagonis Azothi  
sub Macchabæis; namque directum ibi com-  
bustumque Templum à Jonatha legitur 1.  
Macc. 10. 83. 84.*

Qua potissimum formâ Idolum exhibere-  
tur id diu multumque Interpretes torfit. Ju-  
dæorum Doctores de hoc argumento scri-  
bentes aded inter se variant, ut temerè &  
ad arbitrium scripsisse statim intelligantur.  
Sunt qui superiora hominis, inferiora pi-  
scis habuisse dicant (c); alii ordine in-  
verso piscem statuunt in superioribus, in-  
fra verò à femore hominem (d). Alii ho-  
mine excluso piscem per omnia (\*); sicut  
alii vicissim nihil non humanum consti-  
tuunt (e). Id constat, nec manus nec ca-  
put Numini desuisse; Scripturâ enim nar-  
rante 1. Reg. 5. 4. *Caput Dagon & dua pal-*

q Vide 2. Reg. 5. 21. & 1. Pa. 1. 14. 12.

r 1. Reg. 31. 9. s Judic. 16. 23. 24.

\* 1. Reg. 5. 20.

t 1. Reg. 31. 10. & 1. Par. 9. 10.

a Judic. 16. 27.

b 1. Reg. 5. 8.

c Kimchi.

d Abarbanel. \* Rab. Salomon.

e Rab. Levi. Vide si lubet Andr. Beyer addit. ad Seld. de Diis Syr.

ma ejus abscisse erant super limen. Porro  
Dagon solus truncus remanserat in loco suo.  
Septuaginta, pedes quoque unâ cum mani-  
bus & capite projectos habent (f). Nos  
igitur non inviti suspicamur, Deum hunc  
sive Deam (carent enim Hebræi femini-  
no nomine Deabus designandis) ipsissimum  
esse Ægyptium Numen, quod D. Vaillant  
(g) ex Nummo Urbis Menelai exhibuit.  
Refert autem scæminam mediâ corporis par-  
te expressam, cornucopiam tenentem, in-  
feriora habet piscis, cauda in dorsum re-  
plicatâ, pedibusque à pisce non abluen-  
tibus, veluti crocodilli, seu vituli marini.  
Veneris Numen sub piscis forma colue-  
runt Ægyptii; quod in prælio Typhocis  
cum Diis

f Septuag. ibid.

g Append. Hist. Ptolemaeorum.

h Ovid. Metam. 5. fab. 5.

i Lib. 2. pag. 65. sive 92.

k 4. Reg. 17. 31.

l 1. Reg. 4. 8.

m Vide Exod. 15. 11. Ps. 7. 2. 10. & 75. 5. &c.

n De Dea Syr.

Pisces Venus latuit (h).

Porro nomen Dagon, sive Dag, Hebraicè  
sonat piscem; quod sanè animalium ge-  
nus Syri, Phœnicæ, Persæ, Ægyptii, Cre-  
tensæ summâ veneratione colentes, Deos  
Deaque suas in piscem non ratò transfor-  
mabant. Hunc igitur finitimarum gentium  
ritum tenuisse etiam Philisthæos facile cre-  
dimus. Ut quid alioqui piscis nomen Deo  
suo tribuissent, si cæteris circa illos popu-  
lis Numinum suorum sub piscium formâ  
exhibentibus simulacra, soli piscem non  
adorarent? Diodorus Siculus (i) tradit,  
Acalone, quæ Urbs erat florentissima,  
Philisthæorum, Deam coli Derceto sive Ater-  
gatis, ejus simulacrum vultum habens  
scæminæ in piscem desinebat; addit insu-  
per non longè ab Urbe altum esse lacum  
piscibus referatissimum, quos sacros habent  
Incolæ, intactosque servant, rati Venerem  
in lacum se projicientem quondam in pi-  
scem transisse.

Nomen Derceto, sive Atergatis ex Dag,  
& Ater derivatum, sonat piscis magnificus.  
Libenter autem Pagani elogium illud ma-  
gnificus addunt Diis & Regibus; ita Deus  
Sepharvaim appellatus est Adramelech, seu  
Adar-melech, Rex magnificus (k). Philis-  
thæi auditu nuncio deducte in castra He-  
bræorum Arce Domini, exclamarunt (l);  
*Quis nos salvabit de manu Regum subli-  
mum istorum? Verum Deum sæpè hoc eo-  
dem titulo insigniunt Hebræi (m). Lucia-  
nus, qui Deam Syriam oculatus testis in-  
spexit (n), simulacrum pingit mulieris in  
piscem desinentis; quemadmodum & Ne-  
reides apud Poetas describi consueverunt.  
Deam Eurynome filiam Oceani colebant  
Arcades in Templo in urbe Phygale ere-  
cto, quod semel tantum in anno recludi  
consuevisse ferunt. Numinis simulacrum  
aureis devinctum catenis in Templo velut  
in carcere detinebatur. A capite ad imum  
usque pedus venustam referebat puellam,  
inferiora desinebant in piscem. Porro Nu-  
men illud è Creta in Peloponnesum faci-  
lè transit.*

Abstulisse Syros à piscibus quibusdam,  
satis ex Veterum testimonio constat, sive  
indignum ratos ea in cibum adhibere, quæ  
in Altaribus Numina colebant, ut Diodo-  
rus Siculus, S. Clemens Alexandrinus, alii  
Dissert. Calmet. Tom. I.

que nonnulli autumant; sive Gatis, vel  
Atergatis Regina edicto absteritios, quip-  
pè quæ piscium avidissima, omnes sibi re-  
servari, vetito cæteris illorum usu consti-  
tuit, quod malunt Antipater Tharsensis,  
& Mnascas ab Athenæo laudati (o). Mos  
inde obtinuit, de quo Athenæus ipse (p),  
aureos & argenteos pisces in ejus Templa  
inferendi, ut perpetua essent religionis mo-  
numenta; sicut & ex piscibus assatis elixa-  
tisque mensas in ejus aris instruendi, quæ  
postea sibi omnia rapiebant Sacerdotes.  
Malunt alii sacros fuisse Derceto pisces (q),  
quod Deam in aquas prolapsam à præsen-  
tissimo periculo liberarint. Similemque ha-  
buisset de Dictynnâ Deâ suâ opinionem Cre-  
tentes ex testimonio Diodori supra lauda-  
to videntur; namque extractam illam è ma-  
ri piscatoris retibus narrabant. Alii tamen  
contendunt, abstinenti à piscibus in causa  
Syris fuisse, quod (r) tormina sibi quæ-  
dam viscerum & jecoris, sicut & ulcera  
crurium, totiusque corporis metuerent à  
Derceto infligenda in pœnam, quod sacros  
Deæ pisces violassent [s]

o Dipsosopha 1. 8. c. 8. p Ibid.

q Theo in Orat. Seld. de Diis Syr. Syn. tag. 2. c. 3.

r Menand. apud Porphyry. 1. 4. de Abst. Vide & Plut. de Superst. s Ovid. Fast. 1. 2.

Genus hoc imponere mensis Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Manilius Astronom. 4. aliique plures autumant injuriam Veneri irrogari, si pisces in cibum adhibeantur.

Scilicet in piscem sese Cytheræa novavit, Cum Babylonicas submersa profugit inundas, Inseruitque suos squammosis piscibus ignes.

Sed quæcumque demum fuerit Syriacæ su-  
perstitionis causa, extra controversiam est  
consecrassè illos in Altaribus pisces; sicut  
& Deam Derceto scæminam quidem in su-  
perioribus, inferiora verò piscis exhibuisse;  
ipsam autem esse credimus Dagonem  
illum in Libris Sacris celebratissimum.  
Porro Numen illud, quod mulierem effin-  
gebant Syri, & Cretenses, masculino Dei  
nomine Persæ venerabantur. De Osanne  
Numine Babyloniæ, Derceto non absimili,  
sermo est apud Berosum (t). Namque ca-  
pite erat & pedibus humanis; infra verò  
humanam altera assurgebat piscea cervix;  
pedes autem hominis prodibant ex ampli-  
simâ piscis caudâ, quæ in dorsum revol-  
vebatur. Mira jactabant de monstro; ma-  
nè de mari Rubro vel sinu Persico emer-  
gere, & post adam Babylone totam diem,  
sub vespèras iterum in aquis demergi. Am-  
phibium erat humanoque sermone instru-  
ctum. Plurimarum, nec inutilium quidem  
ad vitam rerum primus author ferebatur,  
ut scribendi, ædificandi, agrosque colen-  
di &c. Quatuor ejusdem figure & nominis  
Apollodorus recenset, omnes è mari Ru-  
bro emergentes (u); addit insuper non-  
nullis ante diluvium sæculis novum aliud  
monstrum cæteris non dissimile ex eo-  
dem loco prodidisse, nomine Odacon.  
Quis, rogo, nominis Dagonis vestigia non  
agnoscat? Neque Septuaginta Numen illud  
ignorasse viti sunt, quippè qui Nebo Deum  
Babyloniæ Dagonem reddiderunt Iai.

t Apud Euseb.

u Vid. Selden. de Diis Syris Syntagma 2. cap. 3.

46. 1. Quod autem vix fidem extorquet, atque Religionis, & Theologie Paganae absurdum omne relevat, illud est, nimirum eandem Dianam, quam Cretenfes *Ditynna* nomine colebant, cultum apud Persas, ceterasque barbaras gentes obtinuisse sub nomine *Diana Persica* (x). Manilius ubi supra, Venerem in piscem transmutatam testatur.

Cum *Babyloniacas submersa profugit in undas*.

Mersam in Euphrate, Palastine, ut ipse quidem automasse creditur, amne habet Ovidius Fast. l. 2. ver. 460.

Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo, Inque Palastina margine sedit aque.

Et Metam. l. 4. fab. 3. repetit versam illam in piscem, vel saltem ita ferri apud Babylonios, & persuasum esse Palastinis:

De te *Babylonia* narrant Dercete, quam versa squammis velantibus artus

Stagna Palastini credunt coluisse figurâ.

Fieri utique potuit ut apud Babylonios, cultus Derceto, *Diane*, sive *Dagoni* sub piscis simulacro impenderetur.

y De Dea Syr.

A vero pariter non abludit, Deam Hierapolis in Syria, de qua plura Lucianus, eandem esse quæ Diana Persica, ipsam deum Derceto, seu Dagon, seu Ditynnam, aut Dianam. Lucianus (y) narrat non defuisse, qui adificati Templi Deæ Syriæ honorem tribuerent Regine Semiramidi; quæ scilicet parenti suæ Derceto Fanum illud erexerit; populos verò Urbis à columbis abstinuisse, quod aves sint Semiramidi sacra, & à piscibus, quod Derceto dicari habeantur. Strabo l. 16. non obscure tradit, coli Herapoli Deam *Atergati*. Plinius paria refert l. 5. c. 23. Ibi prodigiosa *Atergatis*, Græcis autem *Derceto dicta, colitur*. Et quod maxime ad rem facit, Acalonitæ cultui Derceto addiditissimi, columbas summopere observabant, eas aves sanctas, eas sacras habentes, quas si quis fortè in cibum adhibuisset, is Deos suos vorandi discrimen subibat (z).

z Sibyllus.

Quid referam ut volitet crebras intacta per Urbes Alba Palastino sancta columba Syro?

a Apud Euseb. Prepar.

Vidisse etiam se testatur Philo (a), dum Acalone esset, infinitum propemodum harum avium numerum, quem summâ diligentia & obsequio alebant.

A S T A R O T H.

b 1. Reg. 31. 10.

Alterum erat Philistæorum Numen, cui Regia Saulis arma in trophæum suspenderunt: Posuerunt arma ejus in Templo *Astaroth*, corpus verò ejus suspenderunt in muro *Betsan* (b). Incertum tamen qua potissimum in Urbe coleretur, nisi fortè Acalone credamus, ubi Veneris Cælestis

Templum, omnium ejusdem Deæ vetustissimum habitum juxta Herodotum (c), spectabatur. Cyri & Cytheræ incolæ, Veneri devota gens, religionem suam Acalonitis debent. Sed quænam hæc Dea *Astaroth*? Nos confundendam credimus cum Derceto, Atergati, Veneri Cælesti, uno verbo, cum Dagon, Dianâ, Atharâ, Deâ nemorum, de qua sæpè in Scriptura (d), Fusiùs nobis de hoc argumento agendum est in dissertatione de Numinibus Phœnicum; hic tamen duas vel tres conjecturas afferendas censemus. Strabo de corruptis nominibus barbaris agens observat (e), ex Atergata factum Atharâ, quam Ctesias appellat Derceto. Tradit Artemidorus Syros à piscibus non abstinere, exceptis quibusdam paucis Deam *Astartem* colentibus [f]; ex quo confusas intelligimus ab eodem Scriptore geminas illas Deas, *Astartem*, & Derceto, cum alteri tribuat, quod ad priorem tantum referendum est. Tandem 2. Macch. 12. 26. sermo est de *Astaroth Carnaim* urbe transjordanica, ubi Templum *Atergata* (Atergation) fuisse perhibetur.

c Herod. l. 1. cap. 105.

d *Asera Aseberab*. Vide 4. Reg. 21. 7. & 23. 4. 6. & 2. Paralip. 33. 3.

e Lib. 16. vers. fin.

f *Oncirot*. l. 1. c. 9.

Quamquam autem ea, quæ huc usque digestimus de Dagon & Derceto veraliquam speciem habere videntur, suis tamen obnoxia sunt difficultatibus, imò & prorsus repellenda essent, si testimonium Sanchoniatis, Authoris, Phœnicii antebellum Trojanum, admittatur. Scriptor enim ille, qui patriam religionem nosse debuerat præ Luciano, Diodoro, aliisque planè recentioribus Græcis, & Latinis, eo maxime tempore florentibus quo Græci totam Orientalium Theologiam Diis Græcorum invehis turbaverant, Scriptor, inquam, ille tradit (g), Cælum pluribus editis filiis, inter ceteros Dagon habuisse, cujus nomen ex Phœnicio *Dagan*, frumentum, derivatur; cum autem, addit, hic atrati & frumenti usum invenisset, nomen obtinuit *Jovis Agricolæ*, sive *Jovis ad aratrum*. Saturnus uxorem tradidit Dagoni unam ex uxoribus Cæli, quam ipse Saturnus in bello à se in Cælum illato captivam habuerat. Hæc Sanchoniato, omnia huc usque præstituta à nobis auctoritate suâ evertens. Singula hæc probasse Bochartus visus est; ea verò rejicit omnia quæ de Simulacro Dagonis Rabbini comminiscuntur (h).

g Apud Euseb. Prepar. l. 1. cap. ult.

h De Anim. sacr. p. 1. l. 1. c. 16.

Sed duo hæc Sanchoniati reponenda. 1. Historia veritas, 2. nomen Dagon ex Phœnicio Dagan, frumentum, derivatum negatur. Sanchoniatis nomine inscriptum Opus fabella est ad arbitrium supposita, sive fraude Porphyrii, qui detrahendi Sacris Libris consilio (ita erat in Christianos animatus) omnia ex Theologia Phœnicum suffuratos fuisse Sacros Authores demonstraturus, Libellum facile proculdit. Nemo certè ante Eusebium, nec post illum aliquis hujus Authoris Scriptum vidit unquam. Quin nec ipse Eusebium integrum illius Opus legisse videtur; sed quæ apud Porphyrium extabant fragmenta, in suum Opus transtulit, cum forte nec ipse Porphyrium integrum Opus supponere ausus, quædam tan-

tantum fragmento in suo Libro inferuerit; fraude non planè felici, cum ipse se non semel prodatur, omniaque infererit absurdis aded putidisque erratis & fabellis, ut vulgo hujus ætatis Eruditos præstitit olim hisce fragmentis fidei pudeat. Nominis etymologia ex *Dagan* probari utique posset, si alicujus Historiæ vel probati Scriptoris auctoritati inniteretur. Sed quis, rogo, Deus Jupiter iste Agricola? ubi locorum cultus? quod ejus Numinis Templum? cultoresque quales? Fragmenta illa procedenti præ oculis erant Libri Sacri, ex quibus nomina propria colligens ad literam translata, in certas genealogias, obtrufis fabellis servientes, digerebat. Ita cum inter legendum offendisset *Sada*, Deum agrorum vertit, quod scilicet *Sade* ad literam sonet agri. Sed Hebræi, qui planè vocabulorum suorum vim norant, vocem illam reddunt: *Deus, qui sibi sufficit*. Sed fusiùs de Theologia Sanchoniatis recurret sermo, cum de Numinibus Phœnicis, sive Chananæis agemus.

B E E L - S E B U B.

i 4. Reg. 1. 2. &c.

**B**eel-sebub i. e. Deus Muscarum, sive Deus Muscæ, Philistæos habuit cultores, & Templum celeberrimum in Accaron, ubi & oracula reddebantur. Ochozias Rex Israel lapsus è tecto domus in coenaculum, gravi vulnere affectus, consultum de valetudine sua Beel-sebub Deum Accaron misit. Euntibus Regis legatis occurrens jussu Domini Elias, gravioribus verbis ita est (i) compellatus: *Namquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beel-sebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes*. In Novo Testamento Beel-sebub Princeps Dæmonum appellatur. Pharisei de Jesu: *In Beel-sebub principe Dæmoniorum eiecit Dæmonia* (k); alii insuper de eodem Jesu (l) dicebant quoniam Beel-sebub habet, & quia in principe Dæmoniorum eiecit Dæmonia.

k Matth. 12. 24. Luc. 11. 15. l Marc. 3. 22.

Sed quale hujus Numinis simulacrum? Inter varias variorum tres tantummodò opiniones referemus. Prima nomen Beel-sebub inditum Numini per contemptum opinatur; cujus genuina esset appellatio *Beel-samin*, Deus Cæli. Secunda autumat, Numen fuisse tutelare Philistæis, cujus potissimum opem in muscas implorarent, quemadmodum & Græci colebant *Herculem muscarum venatorem*. Tertia contendit, consecratas à Philistæis muscas, quarum erectum in altaribus colerent simulacrum. Quæ pro singulis hisce sententiis afferuntur, conjecturas promamus.

Obtinuisse apud Hebræos morem exteriorum Deorum nomina corrumpendi ex Sacris Libris intelligimus. Quo enim horrore Numina illa pro equebantur, eodem & nomina detestantes, ne proferre quidem illa, vel designare sustinebant. Urbs *Bethel*, quæ vox *Domus Dei* sonat, non raro immutato nomine *Bethaven*, domus iniquitatis, vanitatis, nihili appellatur, ex quo aurei vituli à Jeroboamo fabrica-

ti sedes effecta est (m). Monti Olivarum montis offensionis nomen (n) accessit, quod erecti ibidem Fani sedes effectus est. Valli Heliopolis in Cœlesyria, Templo Solis sive Baal infami nomen vallis iniquitatis ab Amos tribuitur (o). Isbaal, Miphibaal, filii Saul, variato nomine in Scriptura appellantur *Ibseseth* & *Miphibeseth*, i. e. vir confusions, os confusions, quo prophanum nomen Baal evitaretur. Dominus Osee 2. 16. 17. profitetur commissurum se, ne ultra nomen Baal in ore populi sui versaretur, ut nec uxor quidem cum viro suo familiaris loquens, illud usurpare nosceret; neque enim, inquit, ultra appellabit conjux virum suum *Baali*, i. e. Dominum meum, sed *Ischi*, virum meum, sponsum meum. Non abs re igitur suspicaremur, Hebræos recepto more nomen *Beel-samin*, Deum Cæli, reddidisse *Beel-sebub*, Deum Muscæ, vel *Beel-sebub*, Deum salacitatis, quem admodum legunt pleraque Græca Exemplaria & Veteres Interpretes.

m 1. Reg. 13. 5. & 14. 23. Osee. 4. 15. & 5. 8. & 10. 5. n 4. Reg. 23. 13. o Amos 1. 5. Habitarem de campo Idoli Miphibakais aven.

Sed cur nomen *Beel-samin* in *Beel-sebub* transferendum maluerunt? Ideo, inquit, quod victimarum cruore ablutum simulacrum muscas accerferet, quibus etiam ebulliebat Templum, invitante odore carniæ & sanguine hostiarum. A Templo Salomonis, si Rabbini fides, omnis exulare Musca Divino prodigio iusta est. Sed hæc frivola sunt, nec majorem merentur fidem, quæ de Templo Salomonis à muscis immuni jactitant. Quin & ex Textu quarti Regum supra laudato factis intelligimus, nomen illud peculiare esse, non deridiculo impostum; neque enim alioqui Ochozias Numinis opem imploraturus mittens, eo Deum illum nomine compellasset.

p Clem. Alex. in Protept. q Plin. l. 29. c. 6. Olympia sacro certamine, nubes carum immolato tauro, Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abiere.

Altera proximè succedens sententia, muscarum aucupio occupari Deum autumans, nihilo melioris est fidei. Tota enim innititur futilibus, & à longe deductis conjecturis, quæ in speciem quidem aliquid, re tamen nihil probant. Adducunt Jovem muscarum aucupem ab Eleis cultum, sicut & apud Romanos Hercules item aucups muscarum notus erat (p). Plinius narrat (q) in Olympiæ sacris tauro litatum fuisse Numini aucupi muscarum, quo sacrificio vix ablato, inquit, statim abactæ muscæ extra territorium turmatim evolant. Author sacrorum Hercules habetur, qui cum Olympiam venisset, & sacrum Jovi parasset, quo molesto muscarum tauro liberaretur, Jovi muscarum aucupi litavit: nec mora, statim molestorum insectorum examina facescere loco, & trans Alphenm avolare visa sunt. In Fano Apollinis ad Athium eidem incommodo occursum, maclato muscis tauro, illisque sanguine relicto, statim enim veluti sacrificio contentæ abibant [r]. Præsentissimum etiam habebatur Herculis Numen in culices; unde nomen inditum Deo *Conopion*.

r Clemens in Protept. pag. 25. Vide Rhodigin Alex. Da lecamp. in Plin. l. 29. c. ult.

Cyrenæici, inquit Plin. l. 10. c. 27. *Acboverem Deum invocant, muscarum multitudine pestilentiam afferente: quæ protinus intereunt, postquam litatum est illi Deo*. Por-